Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Westfalia Cum Diœcesi Bremensi

Mercator, Gerhard

Amstelodami, [1630]

urn:nbn:de:gbv:45:1-365073

Visual Library



GE IX A 12,65

Farbkarte #13
B.I.G.
Landesbibliothek Oldenburg

tur Melæ & alij, qui Ptolemæo *Teutones*: hi omnes ab littore Balthico, ubi sedes eorũ antiquissimas PTOLEMÆUS & alij collocant, cum CIMBRIS populis in Galliã profecti, Teutoburgo, quod Tacitus in Westphalia collocat, nomen dedisse existimantur. *Busacteri* βουάκτεροι, *Majores* & *Minores* Ptolemæo, Tacito *Bructeri*. Hos habitasse Monasterium scribit Willichius. Huic quoque adsentitur Hadrianus Iunius. Per horum ditionem decurrisse Lupiam amnem diserte testatur Strabo libro septimo, unde conjecturã augurari licet illos prædictum flumen utrinque prætexuisse, Rora amne incluso. Eosdem Amisium flumen attigisse verisimile est; siquidem Strabo scripto prodidit eos à Druso navalibus prælijs devictos; Drusum autem constat per Amisiam classem invexisse; Apollinaris eorum fines ad Visurim usque five Visurgim extendisse videtur, ibi, *Bructerus ulvosa quem Viseris abluit unda*. Tacitus prorsus excisos à Chamavis & Angrivarijs scribit, eorum agris occupatis. *Chamavi* Tacito: Ptolemæo καμανδι, ut censet Villanovanus. Ab his nomen Oppidi *Chamen* in Comitatu Marchiæ reliquum esse putat David Chytræus. Angrivarij ἀγγρεβάριοι Ptolemæo. Hi versus Orientem ad Visurgim sederunt, ubi nunc *Hervordia* & Comitatus Lippiensis, Ravensburg, Diephold & Diœcesis Mindensis sita est, Prope Hervordiam enim, adhuc vestigium veteris sedis Angrivariorum supereſt Vicus *Engern*, *Angern* per A in prima est apud Hadrianum Iunium, ad Lippiæ fluminis caput: in cujus Templo Monimentum Magni illius Saxonum & Angrivariorum Ducis Witekindi hodierno die visitur cum hac inscriptione,

Ossa viri fortis, cujus fors nescia mortis — *Omnes mundantur hunc Regem qui venerantur,*
Iste locus claudit: euge bone spiritus, audit. — *Aegros hic morbis cœli Rex sanat & Orbis.*

Longobardi seu potius *Longobardi*, vel *Langhardi*, est enim vox Germanica, teste locupletissimo Diacono Regis Langbardorum Cancellario, qui sic dictos ait ab intactæ ferro barbæ longitudine, *Longobardos* scilicet, quasi *Longobardos*. Hi collocantur à Ptolemæo in hujus Provinciæ finibus, in quorum extrema ora Bardewicum fuit, sicut & *Dulgumnij* δελγούμνιοι Ptol. *Dulgibini* Tacito: (à quibus oppidum *Dulmen* in Diœcesi Monasterienſi, domicilio & morte Hermanni Buschij nobile, supereſſe consentaneum est) item *Angili* quos circa annum cccc xlv iii in Britanniam trajecisse, & Angliæ nomen dedisse, tum ex alijs Historijs, tum ex D. Beda Scriptore Anglo constat: qui temporibus illis vicinus fuit. *Chaucos* verò, qui χαῦκοι Ptol. *Cauci* Suetonio, Lampridio & Straboni καῦκοι, Dioni, *Chaici* Claudiano. Tacitus à Frisijs incipientes, partem littoris ubi nunc Bremensis Diœcesis ad Visurgim & Albim usq; pertingit, occupare, & omnium quas expoſuit gentium lateribus, donec in Cattos usque sinuentur, obtendi scribit, de quibus in Comitatu Embdano. Ad horum latus *Chorsotes* statuit idem Tacitus ex quo Ditionis eorum situs facile innotescit: siquidem Dion Historicus eos ultra Visurgim habitasse testatur, quod ex Tacito etiam manifestum fit. Regem habuere Arminium Segimeri Principis filium, manu fortem, & ultra Barbarum ingenio promptum (quod de eo testatur Paterculus) qui fecuritate nimia Quintilij Vari ad occasionem rei bene gerendæ usus, tres Romanorum Legiones cum totidem alis fexque cohortibus ad internecionem cecidit in saltu Teutoburgensi, teste Tacito, qui saltus Teutoburgo, nunc Duisburgo dicto, oppido ad Roram amuem sito vicinus est. Unde colligi potest evidenter Cheruscos, a Caucis supra Visurgim habuisse initium, perque Monasterienſem Paderbornenſemque Præsulatus ad Rhenum Duisburgo tenus desijsse per longos terrarum anfractus. Hæc de veteribus Westphaliæ Incolis hactenus; flagitat ordo, ut nunc Urbes & oppida explicemus. Sed cum de Diœcesi Bremensi hoc nobis quoq; dicendum sit, quę etiam ipsius Tabulæ titulo continetur, intermissa parumper Westphaliæ descriptione, quam sequentibus Tabulis resumemus, paucula de hac hoc loco subjungamus.

EPISCOPATVS BREMENSIS.

Regio & modi deduct.

BREMENSIS *Episcopatus*, vulgò *Stift Bremen*, cui ab Urbe nomen est, triangulo Isoscelis figura, cujus latera fere æqualia sunt. Visurgis & Albis Fluvij, in extremo anguli apice ad Peninsulam, cui à novo opere seu turri, ad securitatem navigantium ibi exstructa, nomen dederunt, coëuntes. Basis verò est linea ab Esta flu. per fines Ditionis Luneburgensis & Verdensis, paullo infra Alleræ in Visurgim se exonerantis ostium deducta. Esta enim fluvius limes est regionis Bremensis & Harburgensis, quam à reliquo Ducatu Luneburgensi Seneva fluvius exiguus primum, & tamen tribus ostijs in Albim influens, disterminat. Hujus Ditionis non eadem ubiq; qualitas, non idem solo genius. Duæ enim oræ Diœceseos Bremensis extremæ ad Albis & Visurgis aggeres, admodum opimæ & Frugum ac Fructuum feraces sunt. Medius verò tractus inter Stadam & Bremam quem Mercatores usitate transeunt, horridus & incultus, sterilibus arenis, paludibus, & erycis consitus videtur. Itaque pallio extenso Diœcesim Bremensem vulgò comprant, cujus duæ anteriores oræ, a capite seu Albis & Visurgis confluente ad utriusq; fluminis ripas adscendendo, fructuosissimis agris & pascuis velut Holoserice prætextæ: reliqua latitudo levidensi filo, aut canabi contexta sit. Domicilium hic olim fuit *Cancis Majoribus*, qui a Visurgi Albim usque ad Hamburgum sedes tenuerunt. Metropolis *Brema* Φαδισγουν Ptol. P. Apiano, Peucero & Irenico, vulgò *Bremen*, Urbs Hanseatici fœderis ad Visurgim flu. elegans opere, arte, & natura munita; Plateis Vicisque insignis: Civibus plena, Mercatorum commercijs dives. Forum habet amplum, in quo hebdomatim rerum victui necessariarum frequentes sunt Nundinæ. In medio Imperatoria & Regalis erecta est statua, strictum Iustitiæ gladium manu tenens. Unum fori latus Metropolitana Ecclesia respicit: alterum Senatoria domus condecorat, fundamentum habens preciosum ac gratum, Cellam nimirum Vinariam ac publicam, in qua sub Præfecti gubernatione, Senatus vinum, tolerabili precio, & decenti elegantiq; œconomica ratione propinat. Quæ communis est multarum Wandalicarum & Westphalicarum consuetudo, ut ad publica ferenda onera, vini popina penes Senatum maneat. Brema ignobilis primum vicus fuit, crescente verò Religione Christiana, vires & incrementa sumere cœpit, quæ Episcopis suis potissimum debet, a quibus Metropolitica dignitate illustrata, Ecclesia Aquilonarium omnia Matrice condecorata, & murorũ ambitu cincta fuit. Episcoporum seriem in Ecclesiastica Historia M. Adami, vide. Est & *Stada* five *Stadium* Archiepiscopatus Bremensis civitas ad Zuingam fluvium in Meridionali Albis ripa, omnium Saxoniq; urbium antiquissima. Sunt qui *Siatutandam* Ptol. *Stadam* esse, ex graduum observatione notaverint, Nam cum Ptol. *Siatutanda* vel, ut alij legunt, *Setutenda*, in Lat. 54. & in Longitud. 29. assignet, eaque graduum assignatio illius loci ubi Stada condita est, situi pene respondeat: non est a vero prorsus alienum, ea voce Stadium apud Ptolemæum designari. Quomodo & Caspar Peucerus in Epistola ad amicum *Setedanum* veterem appellari scribit. Est etiam *Buxtehuda* oppidum. Fluminibus lætatur hæc regio, *Visurgi*, *Albi*, *Esta*, piscosis. Bremenses natura bellicosi, industrij & aliquantulum ad seditionem propensi. Litterarum studia, artesq; liberales tum primum amant & promovent, quando earũ venustate apud exteros poliuntur; minus alioqui in studia & studiosos propensi, mercaturam libentius exercent. Ex amplissima negotiatione & remotissima navigatione opes sibi acquirunt. Vnde cives pene omnes vel Mercatores, vel Opifices & multi navium Architecti peritissimi sunt.

Soli qualitas.

Urbes.

Flumina, Mores.

WESTFALIÆ
PRIMA TABVLA

Comitatus continet Oldenburch, Hoya, Diepholt, vicinaque Dominia.

Septimus Circulus Imperij Westfalicus five Germaniæ Inferioris,

I. Ordo Ecclesiasticus Episcopi.	II. Ordo Principum Principes, Comites, & Domini.	III. Ordo Civitatum liberarum.
Paderborn.	*Dux Cliviæ & Comes Marchiæ.*	*Colo.*
Leyck.	*Dux Iuliæ & Bergen.*	*Aken.*
Vtricht.	*Marckgr. Baden & Lutzenb.*	*Vnder Wesel.*
Munster.	*Comes Frisia Orientalis sive Embdensis.*	*Duren.*
Camerick.	*Com. Sein. 29 6. 50 27. Westfal. III. Tab.*	*Camerick.*
Osenbrug.	*Com. Dillenburg.*	*Dortmund.*
Verden.	*Com. Vernenberg. 28. 34. 50 24. Tab. Lutz.*	*Soest.*
Minden.	*Com. Manderscheid. 28 15. 50 9. Tab. Lutz.*	*Duysburg.*
Abbates.	*Com. Weida, 29 0. 50 29. Tab. III. Westfal. & Ringelberg.*	*Hervorden 30 15. 53 40.*
	Com. Moers.	*Brakel.*
Werden.	*H. Brunchorst 27 35. 53 9. Tab. Geld.*	*Warthurg 30 49. 53.*
Stablo.	*Com. Steinford 29 48. 52 51.*	*Lemgow.*
S. Cornelis Munster 27 42. 50 43. Tab. Brabantiæ.	*Com. Benthem.*	*Werden.*
	Com. Dortmund.	
Echternaken 27. 51. 49 51. Tab. Lutz.	*Com. Oldenburg.*	
Corbei 31 51. *	*H. Rudburg.* *Tab. 22.*	
Herwordẽn 30	*Westfalia.* *Com. Hoya 30 50 53. 5.*	
	Com. Diepholt 30 4. 52 53.	
	Com Scaumburg. 31 6. 52. 18. Tab. 11. West.	
	H. Spiegelberg. 31 22. 52 13. Tab. Brunsu.	
Essen 28 26. 51 . . . 1 ab. 11. Westfalia.	*H. Vanenberg.*	
	Com. Arenberg.	
	Com. Dierenberg.	
	Com. de Lip.	

Meridiani distant ratione Paralleli 53 45. ad Circulum Maximum.

Regio & Vide dicta.

WESTFALIA, quæ in Methodo nostra sequitur, unde nomen acceperit, opiniones variant. Nonnulli eam à vesta Dea sic dictam arbitrantur, quasi *Vestaliam*: quod ea hic olim fuerit culta. *Westphalos* ergo quasi Vestalios dictos esse volunt. Malunt tamen alij à vento Occidentali sic dictos credere: qui enim inquiunt ultra Visurgim fluvium Orientalem plagam occupant, *Ostvali Saxones* cognominantur ab *Ost* vento Orientali, & *Valen*, quod lingua Saxonica pulum equinum significat, quem in militaribus signis habuerunt. Ætas id nominis abolevit in Orientalibus, & generalis illa Saxoniæ appellatio permansit. Sic Westphali, qui cis Visurgim versus occasum habitant, ab *West* Occiduo vento, nuncupantur. Alij denique à campo id est *Veldt* potius quam *Valen Westphales*, dictos arbitrantur. Ea hodie ab Orta habet Visurgim, ad Meridiem Hassiæ Montes, quos Ptolomæus Obnobios vocat: Ad Occidentem Rhenus est; ad Septemtrionem Frisiam, Hollandiam, Trajectensem ac Transisulanum Tractum respicit. Aër est durus quidem frigidusque, at salubris. Regio satis est frugifera, sed earum rerum, quæ magis alendis gregibus quàm hominibus conducunt. Arborum fructus generat varios, Poma, Nuces, item Glandes quibus faginantur porci. Fertilior est circa Sustatum & Hammonem: fertilissima ad Paderbornam & Lippiam. Ad Amisiam verò quibusdam locis deserta. Compascua est Monasterienſis Diœcesis, item is Tractus qui alicubi Visurgim fluvium respicit. Nemorosa est per totam Surlandiam & Bergensem Comitatum: Metallis non caret in ditione Colonienſi & Comitatu Marchico: Salinarum etiam fœcunditate alibi regio commendatur. Animalium domesticorum numerosissimos alit greges, & potissimum porcorum quibus abundat, qui principum mensis ob pernas delicatiores expetuntur. Ferarum quoq; in sylvis affatim habet. Westphalos *Carolus Magnus* cognomine, primus devicit, & Christiana Religione imbui justit. Episcopatus instituit, Monasterienſem, Osnaburgensem, Paderbornensem & Mindensem. Quis verò post Carolum Magnum rerũ status per Westphaliã, quis rerum summæ præfuerit, an tota Pontificibus paruerit, non reperitur in Annalibus. Equidem in Orientali Saxonia erant seculares Domini, qui rerũ tenebant gubernacula; primo quidem Reges de stirpe Caroli Magni, sub quibus tamen Duces Saxoniæ de genere Wedekindi paullatim magis atq; magis increverunt usq; ad Henricum primum Regem Romanorũ, à quo tres per ordinem *Ottones*, deinde etiã Marchiones Saxoniæ nati ex Henrico Duce Bavariæ fratre primi Ottonis. Westphalia verò quæ est Occidua Saxonia, quos habuerit Principes seculares illa tempestate rem cum Episcopis administrantes, omnino non legimus. Sequenti tamẽ ætate *Henricus dux Leo*, & ante eum avus illius *Luderus* Dux Saxoniæ, inde Imperator, Westphaliam temisse leguntur. Nam ab eodem Henrico cum destituereturper sententiam Imperatoris Friderici 1, Ducatus Westphaliæ titulum sibi Archiepiscopus Colonienſis vendicabat, tenentque eundem duces Saxoniæ Inferioris de genere Comitum de Anholt. Tenet & jam dictus Episcopus bonam partem ejus Regionis, maximè Angriam; cui nunc Westphali parent, sussque Nobilibus, quorum fere mancipia sunt, ac jugum durissimum sufferunt. Sedes hic olim habuerunt suas *Tentoni*, *Busacteri*, *Chamavi*, *Angrivarij*, *Longobardi*, *Dulgumnij*, *Angili*, *Chauci*, & *Cherusci*. *Tentoni* nominan-

Animalium varietas. Imperium Majorth.

GETTY RESEARCH INSTITUTE LIBRARY
2-00-0013

Landesbibliothek Oldenburg